



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. Utrùm per consuetudinem induci possit, ut Prælati, aliique Clerici non teneatur personaliter residere in Ecclesiis, sive beneficiis curatis, vel non curatis, aut simplicibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. II.

*Utrum jure Divino, an humano  
solùm, Episcopi, alique inferiores  
curati teneantur ad residentiam  
personalem?*

**V**etior & communior sententia est, tam Theologorum, quam Canonistarum, quòd hi tales non solùm præcepto Ecclesiastico, sed etiam Divino, per se obligentur ad residentiam personalem, in suis Ecclesiis, prout probari potest ex *Trident. sess. 23 c. 1. De refor.* & ex alata priorè §. ratione, ita ut non possit curatus per se gregem suum deserere, propter aliquod commodum tantùm temporale, aut devitandum periculum, nisi per alium æquè, & fortassis magis idoneum Vicarium salutis spirituali ovium sufficienter provideri possit, quo in casu consideratis variis circumstantiis Divini præcepti obligatio cessat, & sola manet juris positivi humani obligatio, in qua Papa dispensare potest, & sæpiùs solet.

## §. III.

*Utrum per consuetudinem induci  
possit, ut Prælati, alique Clerici non te-  
neantur personaliter residere in Ecclesiis,  
sive beneficiis curatis, vel non cura-  
tis, aut simplicibus?*

**U**T Rector Ecclesiæ curatæ, nec per se ipsum, nec per idoneum Vicarium resideat in sua Ecclesia, nullâ consuetudine, nec quidem immemoriali induci potest: quia talis consuetudo est irrationabilis, divino præcepto contraria. Et quamvis plures doceant, quòd nulla etiam consuetudo valeat, quâ eximatur Parochus à personali residentia, & ut

possit per Vicarium deservire (sive Ecclesiæ, probabilis tamen est contraria sententia, si per Vicarium (sive personam hic sit, sive temporalis, & ad hoc tum amovibilis) pastorale officium exerceatur, ut nullum damnum patiantur oves commissæ. In dignitatibus, & Canoniciatibus, & Beneficiis Cathedralium & Collegiarum per consuetudinem introduci potest, nec per Vicarium resideatur, & fructus tamen percipiuntur, dummodo ob hanc absentiam cultus Divinus per paucitatem presentium non interrumpatur; prout sumitur ex c. *Cum omnia* junctâ *Glossâ final. de Constit.* Quod Tridentinum hujusmodi consuetudinem inserviendi per substitutum, & ut fructus percipiendi videatur haberi, *Sess. 24. c. 12. §. Præterea. De ref.* clausa tamen non est per hanc prohibitionem consuetudo immemorialis, & prout docet in multis, præsertim Germaniæ nostræ partibus, hoc Tridentinæ doctrinæ receptum non esse. Certum est, quod consuetudo doctrinæ conformis, & consuetudo valeat, quâ simpliciter inferiores Beneficiarii ad residentiam in suis beneficiis non teneantur, nisi in Titulum beneficia illa concessa, & fructus eorum beneficiorum percipiuntur. Cum enim ad residendum obligentur tantùm ex præcepto humano positivo, huic autem per consuetudinem legitimam derogari possit, consequenter possunt per consuetudinem commode obligari ad residendum per aliquod modò aliæ illorum obligationes, & fructus divinus per talem absentiam percipiatur.